



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XX. De Monasterio ob emptum à suo Religioso capreolum à  
sæculari Judice mulctato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

liam in conjugem dari, nec minimam mentionem de promissione matrimonii & deflorata ex illo puella fecerat. Parens igitur circumstantiæ hujus & obligationis Livii prorsus ignarus extitit, cum igitur parentes optimè sciant difficultatem, quam corruptæ puellæ circa suo statui conforme matrimonium acquirendum patiuntur, & quòd ab ipsis parentibus major dos eisdem sit assignanda, hinc omnibus viribus illi laborant, ut corruptor talem defloratam in uxorem recipiat, nisi omnino quædam eisdem difficultas in tali

matrimonio secutura absterreat. Dissensus itaque patronus in hoc casu videtur esse involuntarius, cum processerit ex ignorantia prorsus inculpabili hujus deflorationis, & promissi ad hanc obtinendam matrimonii, qua habita certò consensurus petitioni defloratoris fuisset, cum nulla ratio in his circumstantiis occurrerit, quæ patrem ad denegandam corruptam filiam corruptori in matrimonium prudenter persuadere potuerit, præsertim cum Livius nobilis & divitis parentis filius extiterit.



## Casus XX.

*De Monasterio ob emptum à suo Religioso capreolum à seculari iudice multato &c.*

**R**eligiosus quidem frater Laicus officio procuratoris in monasterio suo fungens in scio Prælate emit capreolum à quodam venatore, decenter juxta suum statum vestitò, consuetò & communi pretiò, trium scilicet

florenorum, cum autem fera in quadam civitatis domo deposita fuisset, monasterii secularis famulus ad eam apportandam à fratre mittitur, qui capreolum sacco vel corbi inclusum, & hinc occultatum in monaste-

nasterium defert. Præfectus rei venatoriæ de hac emptione certior factus fratrem Religiosum tanquam malæ fidei, & rei furtivæ emptorem novem florenorum consuetâ talibus malæ fidei emptoribus mulctâ afficit. Cùm autem fratrem insufficientem solutioni sciret, ab ipso monasterio, quod sæcularem hunc tanquam incompetentem Religiosorum judicem recusabat, dictatam mulctam ex pecuniis monasterii apud sæcularem depositis subtrahit. Hinc

Quær. 1. Num emptor Religiosus pœnam statutam mala fide ementibus capreolum incurrit?

Quær. 2. Num communitas religiosa ex facto aut delicto sui subditi obligari aut puniri possit?

Quær. 3. An sæculare Dicasterium sit privati Religiosi aut communitatis in hoc facto iudex competens?

### Synopsis.

#### §. I.

#### Resolvitur I. Quæsit.

*Num emptor Religiosus statutam emptoribus capreolorum mulctam incurrit?*

1. Ut reus damnetur, debet constare, mala fide contractum fuisse.
2. Quam videtur probare occultata capreoli ad monasterium deportatio.
3. 4. 5. 6. Refutatur.
7. Solvitur secundum argumentum.
8. Afferuntur rationes, quod bona fides accesserit.

#### §. II.

#### Resolvitur II. Quæsitum.

*Num communitas religiosa ex facto aut delicto sui subditi obligari aut puniri possit?*

9. Exponuntur variæ hujusmodi casuum circumstantiæ.
10. Tenebitur monasterium ex facto Religiosi, cui administratio quædam commissa, & observata fuerat.
11. Hinc attendendum, num fines mandati non transierit?
12. Tenebitur monasterium, si  
in

- in istud aliquod commodū ex subditi facto redundarit.
13. Excusatur, si administratio subdito commissā non fuerit.
14. Nec ex delicto ipsius Prælati tenetur monasterium, si nullus hujus consensus accesserit, aut utilitas in illud pervenerit.
15. Cū emptor fines sui mandati egressus fuerit, hinc monasterium non tenetur.
16. Nec factum in utilitatem monasterii conversum.
17. In quo sensu Religiosus damnum illatum ex suo peculio refarcire debeat.
18. Nullus monasterii consensus intervenit.
23. Etiam Regulares fratres laici gaudent privilegio fori.
24. Nil probatur per hoc, quòd alii cuidam monasterio similis mulcta fuerit statuta.

## §. I.

## Resolvitur I. Quæsitum.

*Num emptor Religiosus statutam emptoribus capreolorum mulctam incurrit?*

Cum omnis pœna & mulcta supponat culpam, hinc ut emptor ad hanc justè damnetur, debet constare, quòd mala fide hunc capreolum emerit; præterea, cū nemo præsumendus sit malus, nisi probetur, & vera ad absolvendum sint proniora, quàm ad puniendum, hinc non videntur sufficere meræ præsumptiones ex quibusdam levibus suspicionibus allatæ; nec probabiles solummodo rationes, si hæc facillè enervari, & bona fides emptoris æquè, si non etiam magis probabilibus argumentis probari poterit, examinandæ igitur erunt ambarum partium rationes.

Præ-

## §. III.

## Resolvitur III. Quæsit.

*An seculare Dicasterium sit hujus Religiosi aut totius communitatis judex competens?*

19. Responsio est negativa.
20. Neque fratres Laici conveniri ibi poterunt.
21. 22. Satisfit objectionibus.

2 Præcipuum itaque, & vix non unicum pro mala fide emptoris fundamentum est occulta capreoli à famulo monasterii ex domo sæculari in monasterium delatio, ad quid enim occultè & non publicè illum asportavit? Non alius finis assignari potest, nisi quod sciret, mala fide hanc emptionem institutam fuisse.

3 Sed efficacitatem hujus argumenti enervat Primò. quòd ille famulus, etiam alia comestibilia vasi cuidam inclusa vel linteo tecta ex urbe in monasterium deferre consueverit, consueto igitur sibi more tunc etiam usus fuerat.

4 Secundò. Famulus capreolum occultavit, ne dum mediam urbem transeundo publicè ostendens capreolum transeuntibus, & ex fenestra prospicientibus incolis horum cavillationibus suos Religiosos exponeret, experientia enim docet, si delicatiores & lautiores cibi ad Religiosos deferantur, quòd isti à sæcularibus tanquam voraces, lautarum, ac statui regulari minimè convenientium epularum amatores proclamentur.

5 Tertiò, etiam sæculares pa-

tresfamilias fercula ex alienis ædibus ad suos deportanda tecto quodam linteo aut corbi inclusa deferri curant: ergo taliter occulta delatio non est sufficiens quoddam rei furtivæ indicium.

6 Quartò, si alia fercula sylvestria etiam ab ipso domino rei venatoriæ Præfecto pro Religiosis istis fuerunt empta, tecta semper, & non in propatulo, ut omnibus transeuntibus illa pateant, asportata fuerunt: ergo etiam hic suum procedendi modum secuti fuerunt. Proin ex eo, quòd non omnibus obviantibus emptus iste capreolus palam ostensus fuerit, pessimè infertur, quòd mala fide comparatus consuetò pretiò fuerit.

7 Alterum argumentum, quo malam fidem in emptione hujus capreoli intervenisse contendunt, in eo consistit, quòd venatori emptor dixerit, majorem se impostero cum eo familiaritatem contracturum, quibus verbis insinuare voluerit venatori, quòd speret se adhuc frequentius furtivas ejusmodi feras comparaturum ab illo esse; sed rationem futilem esse omnis fatebitur, qui intellexerit,

venatorem sanctè asseruisse, se in familiam ac inter venatores summi in illis terris rei venatoriæ præfecti assumendum esse. Cùm igitur emptor Religiosus sylvestres à memorato Præfecto comparare consueverit; hinc asseruit, se hac ratione frequentius commercium cum illo in comparandis sylvestribus feris habiturum.

8 Audivimus hucusque rationes emptori minùs faventes, quæ, cùm non sufficienter malam fidem in hac emptione evincant, emptor utique absolvendus erit, cùm reus, etsi nihil probaverit, innocens sit declarandus, si non valde probabiles, imò certæ conjecturæ ac rationes contra ipsum allatæ fuerint; cùm nemo sit præsumendus malus, nisi talis probetur.

Verùm non desunt tales circumstantiæ, ex quibus colligi possit, nullam malam fidem in hoc contractu intervenisse, nam experientia docet, quòd feræ sylvestres, si mala fide, hoc est, furtivæ, ac contra principis prohibitionem occisæ scienter à ferripetis offerantur, & comparentur, nequaquam consuetò, & vul-

gari, sed multò minore pretiò comparentur: ergo si hic contractus communi ac ordinariò pretiò, trium scilicet florenorum, fuit institutus, bona fide celebratus est.

Huic accedit, quòd feripetæ sint abjectæ conditionis, & infimæ notæ homines, malè vestiti, ac defectum rerum necessariorum in omnibus suis actionibus prodant, hic autem venator qualitates modò allatas omnino contrarias præfulerit.

Tertiò, feripetæ offerendo illicitè trajectas à se feras emptoribus non rogati denuntiant, se injustò modò illas comparasse: iste autem se à suo domino subpræfecto in illo territorio mandatum vendendi hunc capreolum accepisse asseverabat.

Quartò, emptori Religioso sub valde gravi pœna comparatio furtivarum ferarum à suo Prælato erat prohibita, non autem est credibile, quòd se voluerit exponere huic tam gravis mandati violationi, & pœnæ ob hoc delictum, quam sibi infligendam optimè præviderat, sustinendæ.

§. II.

§. II.

Resolvitur II. Quæsitum.

Num communitas religiosa ex facto aut delicto sui subditi obligari aut puniri possit?

9 **A**Dverto primò, Religiosum delinquentem vel esse ipsum Prælatum, vel subditum. Secundò, Religioso delinquenti potuisse aliquam administrationem expressè vel tacitè commissam fuisse. Tertio, tale delictum aut aliud quoddam factum cum vel absque consensu aut præseitu fuisse commissum.

10 Dico 1. Si privatò Religioso tacitè vel expressè quædam administratio erat commissa, nec limites hujus Religiosus excefferat, factò, aut delictò talis Religiosi tenebitur ipsum monasterium. Ità Sanchez in Decalogum part. 2. lib. 7. cap. 31. n. 14. Angelus, Sylvester, Rosella, Molina, tom. 1. de just. disp. 140. Azor. Lessius. Prob. in tali casu censetur per hoc subdito fuisse concessa nomine communitatis facultas celebrandi contra-

ctus ad illam administrationem spectantes, ut tamen iste sibi concessæ facultatis limites non excedat: ergo ex facto talis Religiosi tenebitur ipsum monasterium; si enim talis constitutus procurator etiam bona fide processit, & damnum ex hoc communitati illatum, sibi hæc istud imputare debet, quòd ignavum constituerit: *Lege cum mandat. §. ult. ff. de minoribus.*

Itaque quotiescunque Prælati  
tus, communitas, vel alius quidam aliquem domus suæ procuratorem constituit, cujus omnes negotiationes & contractus ad familiam sustentandam in totos ratos habeat, ut decidatur, num ex actis talis procuratoris ipse constituens teneatur, vel non, juxta legem 1. §. non autem. & §. Si igitur. §. Si plures. ff. de exercitoria: erit attendendum, num mandatarius mandati sui formam observaverit, & hujus fines egressus non fuerit. Everardus tom. 2. consil. 6. n. 64. ex lege universorum. ff. de pignoratitia actione. Layman. sect. 5. tract. 4. cap. 27. n. 6. Si fines egressus fuerit, dominus conveniri non poterit ex delicto procuratoris,

ut enim habetur in *cap. 1. ut lice*  
*contestata*: non censetur dominus  
constituendo procuratorem,  
quamvis generalem, voluisse ei  
præcipere delictum. Pyrrhing  
*de procuratoribus §. 8. n. 79.* ubi  
tamen notandum juxta AA. in  
quocunque mandato generali-  
ter dato præsumi mandatum id,  
quod est de consuetudine man-  
dantis.

12 Exceptus tamen est casus, in  
quo ex delicto aut facto ultra  
concessæ facultatis limites com-  
missio aliquid in mandantis com-  
munitatis Religiosæ utilitatem  
fuerit conversum, eo quod ista  
hac ratione ad reparandum  
damnum sit obligata.

13 Dico 2. Multò minùs com-  
munitas Religiosa ex delicto sui  
regularis subditi conveniri pote-  
rit, si talis administratio eidem  
non fuerit commissa. Prob. Re-  
ligiosus privatus gerit personam  
cujusdam filii familias, & ex fi-  
lii familias delicto non tenetur  
paterfamilias, si hujus culpa non  
intervenerit, sed ipse filius fami-  
lias ex delicto, vel damno dato  
per se ipsum obligationem con-  
trahit: ergo nec communitas aut  
Prælatus ex delicto subditi sui

ignorante Superiore commissio.  
Quod paterfamilias delictum sui  
filii luere non debeat, habetur  
in institutione *de noxalibus actio-*  
*nibus*, & docent Sylvest. *verbo*  
*restitutio. 2. disto. 16.* Lessius *lib.*  
*3. c. 9 dubit. 17. n. 21.* Laym. *sect.*  
*5. tract. 4. cap. 8.*

Probatur conclusio 2. *ex Reg.*  
*76. in 6.* ibi: *Delictum personæ non*  
*debet in detrimentum Ecclesiæ re-*  
*dundare.* Ita Lessius *lib. 2. cap.*  
*27. n. 12.* Laym. *sect. 5. tract. 4. c.*  
*25.* ex quibus deducunt, quod  
Ecclesia aut monasterium ne-  
quaquam teneatur, si res depo-  
sita etiam dolò Religiosi perierit;  
quod dicunt etiam locum inve-  
nire, si apud Prælatum fuerit res  
deposita; tenebitur autem, si ip-  
sa Ecclesia vel monasterium su-  
sciperit depositum.

Prob. 3. ex lege: *Si vendita.*  
*ff. de periculo & commodo rei ven-*  
*ditæ* in hac enim traditur, quod  
paterfamilias non teneatur om-  
nem culpam famulorum præsta-  
re. Idem docent Layman. *sect.*  
*5. tract. 4. cap. 22. n. 6.* Meno-  
chius, Andreas Gaill. *lib. 2. pract.*  
*observat. cap. 21.* Cùm ergo Re-  
ligiosus personam filii familias a-  
gat, hinc, Prælatus, Ecclesia,  
aut



aut monasterium nequaquam tenebitur, si res deposita etiam dolò Religiosi perierit, si non ipsa Ecclesia vel monasterium acceperit depositum. Idem de aliis delictis particularium Religiosorum tenendum erit.

Insuper habetur *leg. penult. §. Sanè: Cod. de noxalibus actionibus.* ob delictum à monacho commissum ipsemet conveniendus est; neque monasterium obligatur, sicut neque dominus ob servi delictum. Hoc ipsum, quòd scilicet monasterium non obligetur ex delicto Religiosi, exceptis casibus, si Religiosus cum consensu Prælati delictum commiserit, defendunt Innocentius in *cap. olim. §. item notand. de privilegiis.* Angelus verbo, *monasterium. §. 1.* Gabriel in *4. D. 15. quest. 8. art. 3. dub. 10.* Sanchez *lib. 7. Moralium c. 31. n. 9.*

14 Dico 3. Etiam si ipse monasterii Prælati delictum commiserit, ex hoc tamen nihil ad monasterium pervenerit, aut in hujus utilitatem conversum non fuerit, aut illius consensus & consilium non accesserint, ejusmodi delictò monasterium non tenebitur: Ratio est; quòd de-

lictum personæ in damnum Ecclesiæ non sit convertendum. *C. Si Episcopum, 16. q. 6. & regula delictum. 76. de regulis juris in 6.* Ita docent Glossa finalis *leg. Siquis in tantum. 7. versu. 7. de Abbate. C. unde vi.* Alciatus *consil. 1. n. 49. lib. 1.* Angel. *summa v. monasterium: initio.* Sylv. *verb. Religiosus. 8. q. 3.* Rosella. *verbo Abbas in fine. & v. Monachus n. 10.* Molina *tom. 1. de justit. disp. 140. col. 9. vers. monasterium ex delicto.* Leonard. *lib. 2. de justit. cap. 41. dub. 11. n. 9.* Sanchez *lib. 7. cap. 31. n. 11.* Quòd si autem accedente capituli consilio commissum delictum fuerit, juxta Navarrum *comment. 62. de regular.* Monasterium tenebitur illo delicto, quia Prælati & Capituli factum Ecclesiæ nocet.

Dico 4. Licet mala fide capreolus à Religioso emptus fuisset, ex adductis tamen hucusque principiis non poterit monasterium conveniri. Probat. in tali casu emptor suæ facultatis limites excessit, eò quòd expressè à Prælati sub pœna gravi ejusmodi furtivorum capreolorum emptio fuerit prohibita, & hanc emptionem ipsis Superioribus &

inconsultis atque ignaris celebraverit. Quando enim procurator, non omittendo, sed positivè aliquid faciendo deliquit; tale factum non nocet, aut præjudicat domino, nisi addiderit speciale mandatum: vel dominus ex post facto expressè, aut tacitè ratum habeat, quod illicitè fecit procurator. Bartolus *in leg. 1. §. si procurator. n. 5. ff. si quis in jus. Abbas in cap. 1. ut lite non contestata. n. 23. Felinus; ibidem. n. 8. & 12.*

16 Neque dicas, emptionem istam in utilitatem totius Religiosæ communitatis redundasse, eò quòd istum capreolum absumpserit, contra enim hoc est; ut communitas ad præstandum privati delictum obligetur, non sufficit, quòd res comparata, ab illa fuerit absumpta, sed insuper requiritur, ut nullum æquale pretium fuerit pro illa expensum (quod tamen hic contingit) hoc enim posito non evasit communitas ditior. Hinc bene advertit Layman, tunc rem in utilitatem monasterii esse versam, si quid domino comparatum utiliter; item spectanda etiam esse impensa, quia utilitas, & lu-

crum non spectantur nisi impensis deductis.

Neque dicas 2. juxta Navar<sup>17</sup>rum *n. 62. comment. 2. de regular.* & Azor. *lib. 12. c. 11. q. 2. Laym. n. 7. cap. 7.* Si Religiosus administrationem pecuniæ habuit, ex eo damnum resarciendum esse; atqui hic emptor habet administrationem pecuniæ: ergo ex peculio monasterii, quod emptor habet, damnum reparandum. Resp. enim 1. neg. quòd ex hac acceptione aliquod damnum tertio cuidam evenerit, cum occisus capreolus libertate naturali frueretur. 2. Sensus horum AA. est, quòd damnum à Religioso præsertim extra monasterium degente alteri illatum, ex peculio ipsi tali Religioso à Superioribus concessio sit reparandum: ergo non ex ipsis monasterii bonis.

Neque dicas 3. Si non expressus, accessisse tamen consensus aut jussu interpretativum ipsius monasterii: ergo &c. Resp. contrarium ex eo patere; quia Superior hoc sui subditi factum nequaquam ratificaverat, sed positivè improbaverat.

§. III.

Resolvitur III. Quæ-  
situm.

An sæculare Dicasterium sit hujus  
Religiosi aut communitatis in  
hoc factò judex com-  
petens.

[19] **R**espondeo & dico, nec ip-  
sum emptorem, nec com-  
munitatem ad forum sæculare  
ob hanc emptionem, etsi mala  
fide facta esset, citari posse. Pro-  
batur ex lege, in criminalibus. 5.  
Cod. de jurisdic. omn. judic. hic ha-  
betur: ad forum non trahi pos-  
se. Item cap. 2. de constitut.  
in 6. leg. fin. ff. de jurisdic. & le-  
ge finali. Cod. si à non competente  
judice habetur, exemptus privile-  
giò in corpore juris clausò, non tene-  
tur comparere.

Hæc eadem assertio probatur  
ex lege 1. ff. de officio Præsidis. leg.  
1. & 2. de officio proconsulis. leg. ult.  
de officio Præsidi urbis. in istis lo-  
cis asseritur, neminem teneri li-  
tigare coram iudice incompe-  
tente, quia hoc est litigare co-  
ram homine privato, qui pote-

statem juris dicendi non ha-  
bet.

His præmissis subsumo. Sed  
tam privatus hic Religiosus,  
quàm ipsa tota communitas ex  
privilegio in corpore juris clau-  
so eximitur à foro sæculari: er-  
go ad hoc non poterunt trahi.  
Prob. non Presbyteri tantum, sed  
etiam quicumque Clerici, solis etiam  
minoribus ordinibus initiati, gaudent  
privilegiò fori, non tantum in cri-  
minalibus, sed etiam civilibus. cap.  
nullus de foro competente. cap. Cle-  
rici. 8. & cap. cum non ab homine.  
10. de iudice. cap. unico. de Cleri-  
co conjugato in 6. cap. at si Clerici.  
4. cap. qualiter 17. de iudic. cap. 2.  
de foro compet. in 6.

Quòd Regulares personæ, 20  
quæ videlicet in quodam ordine  
Religioso ab Ecclesia approbato  
consuetis votis se adstrinxerunt,  
gaudeant privilegiò fori, est  
communiter inter Catholicos  
receptum dogma traditum cap.  
quamquam de censibus in 6. cap. Cle-  
ricis de immunitate Ecclesiæ. in 6.  
Can. 15. & 38. 11. quest. 1. Authen-  
tica statuimus. Cod. de SS. Ecclesiis.  
Novella. 123. cap. 21. lege. 36. Cod.  
Theodorus. de Episc. cap. Ecclesiis  
& Clericis.

Hanc

Hanc ipsam exemptionem Religiosorum, & fori privilegium, ita, ut neque in debitis civilibus conveniri possint coram iudice sæculari agnoscunt & tradunt Navarrus. *Comm. 2. de regul. sup. cap. non dicatis.* Rodriguez. *tom. 1. quest. 65. art. 3.* Lezana *in summa. quest. regular. tom. 1. de regularium immunitate. cap. 3. n. 9.* Hic ipse Lezana *cap. 11. n. 17.* cum Rodriguez. *Tom. 1. quest. regularium. q. 66. art. 2. §. non regular.* ostendit, contra Decreta Bullæ cœnæ Domini fieri, si Religiosi ob sua delicta ad iudices sæculares trahuntur, estque istud casus hic in Bulla cœnæ Domini expressus, & excommunicatio per hoc incurfa ipsi Summo Pontifici reservata. His accedit, quòd juxta communem exemptio in corpore juris clausa, sit æquè fundata in jure communi, ac jurisdictio iudicis, unde huic derogat tanquam species generi: ejusque allegatio & probatio frustra petitur, cum, quæ jure communi continentur, nota debeant esse iudici.

<sup>21</sup> Nec obstat hætenus dictis, lex 5. ta. *Siquis ex aliena jurisdictione ad prætorem vocetur, debet*

*convenire.* Respond. enim, hæc dicta locum habere, si iudex per se, & ipso jure in citatum habeat jurisdictionem, quæ tamen opposita aliqua exceptione elidi possit, itaque legem citatam explicat Paulus Castro. *lib. 1. consil. 481. n. 6.*

Neque <sup>22</sup> obstat, quòd emptor, tanquam frater laicus nullo ordine Ecclesiastico sit insignitus, hoc enim non obstante, est persona religiosa, quia obsequio Divino specialiter per tria vota essentialia se obstrinxit. patet ex cap. *duo sunt. 12. q. 1. & can. Siquis suadente diabolo. 17. q. 3.*

Tales fratres laici, uti etiam <sup>23</sup> ipsi Novitii gaudent privilegio Canonis juxta cap. *Religios. §. quamvis, de sentent. excom. in 6.* constanter etiam hæc doctrina tenetur à Canonistis & Juristis apud Marta, Tiraquell. & quidem ex hoc, quia personæ religiosæ reputantur, quòd habeant privilegium Canonis: quibus autem privilegium Canonis competit, iisdem etiam privilegium fori competit.

Neque tertio favet Dicasterio <sup>24</sup> sæculari, quòd aliud quoddam monasterium ob frequentiores ejus-

ejusmodi furtivarum ferarum emptiones magnâ pecuniæ multâ sit punitum, nam contra est primò, quod juxta capit. *inter dilectos. s. de fide instrum.* & cap ult. *de sententia, & re judicata.* res inter alios, vel in alio judicio acta, alii non præjudicat. contra est 2. vel enim aliunde probant, hanc à sæculari giudice extortam à regularibus multam justam & privilegio regularium neutiquam difformem fuisse, vel hoc non probant? si primum, afferantur rationes, & refutent nostras in hoc §. allatas, tale factum juribus difforme probantibus, si non probent, dicimus etiam illam sententiam tanquam à giudice incompetente latam injustam fuisse, violâsse privilegium Religiosorum, ut autem ex præjudiciis & latis antehac sententiis aliquid esse licitum deducatur, rationes adesse debent, quæ probant clarissimè in illis anrerioribus errorem aut injustitiâ commissam fuisse, quam tamen accidisse in exigenda illa multâ rationes nostræ sententiæ satis clarè demonstrant. Dein, non quid factum sit, sed quid fieri debeat, spectandum est; neque ex-

emplis est judicandum, Lege: *sed neque. 12. ff. de officio præsidis.* juxta Glossam marginalē ibidem: non sunt exempla, nisi bona sequenda. Ita ex Gellio tradit Diana apud Pyrrhing *de Constit.*

Contigit ante plures annos, ut milites suorum officialium militarium imperiò reum ex asylo, quo gaudebat, absque obtento desuper Episcopi consensu extraxerint, quod injustè attentatum fuisse omnes agnoscunt, jam, si etiam nunc talis confuga ex militarium officialium imperio à militibus extraheretur sine obtenta desuper Episcopi licentia, justitia hujus extractionis utique malè probaretur paritate ex prioribus annis attentata extractione: ergo etiam citatio & punitio regularium hoc tempore facta aut facienda etiam tanquâ justa, & immunitati Ecclesiasticæ neutiquam contraria defendi neutiquam poterit ex illa alterius monasterii olim injustè facta ad sæculare Dicasterium citatione. Atque his sufficienter probatum judicamus, nec fratrem emptorem, nec totam religiosam communitatem ad forum sæculare citari posse.

D d

Ca-